



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 5. Semper in Contractibus sequimur, quod in regione, in qua  
aliquid actum est, frequentatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

## PRINCIPIUM V.

Semper in contractibus sequimur, quod in regione, in qua aliquid actum est, frequentatur.

*Sensus.*

Hoc est, cum dubium exoritur, quomodo contractus aliquis inter aliquos sit initus, tum præcipuè attendi debet, quâ ratione inter alios ejusmodi contractus celebrari consueverint, & juxta illum morem etiam dubius ille contractus est explicandus.

*Authoritas.*

Desumptum est ex l. semper in stipulat. ff. de reg. Juris & refertur ac applicatur à Patre Gobat in Accus. Canon. tit. 2. c. 28. n. 3.

*Ratio.*

Quia inspiciamus in obscuris, quod plerumque fieri consuevit, uti in l. 6. decret. c. ult. reg. 45. dicitur, hæc enim sunt cognata Natura, & pro lege ac veritate habentur, ut testatur Barbosa axiom. 223. n. 3. & 4. ergo rectius, quam ea, quæ raro eveniunt, & ut lex 64. ff. de reg. Juris dicit, in agendis negotiis non temerè computantur, inspicere solent.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Si Maritus uxorem in dotatam doceat, ipsum ad eam alendam obligari, uti P. Gobat l. c. cum Sanchez docet, asserente, neminem à se lectum, qui hoc neget.

Deducitur 2. In dubio, num venditor fidem habeat Emptori de pretii solutione, dum rem venditam Emptori tradit, omnino censeari fidem habere, & Dominium transferre, uti Laym. l. 3. de Just. tr. 4. c. 17. §. 2. n. 11. docet.

Deducitur 3. Si Hæreticus cum Catholica Matrimonium in loco Catholico ineat, censeari, illud Catholico quoque modo, id est, modo indissolubili quoad vinculum contraxisse.